

AVUNCULO DILECTISSIMO

C A R O L O S T A A T S

REGI BORUSSORUM A IUSTITIAE CONSILIUS
AQUILAE RUBRAE EQUITI

ET

PATRUO CARISSIMO

AUGUSTO BORMANN

TENUE HOC STUDIORUM SPECIMEN

PIO GRATOQUE ANIMO

INSCRIPSIT

AUCTOR.

Antiquitates Aricinae.

Si quis hoc tempore ad antiquitates unius oppiduli perscribendas se confert, ei sane cavendum est, ne, si ex more iamdudum abolito de Evandri matre sciscitatus sit, oleum et operam perdidisse videatur. *Πρῶτον μὲν ὑποθέσεις αἰρεῖσθαι καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς· ἔπειτα παρασκευάζεσθαι τὰς εἰς τὴν ἀναγραφὴν τῆς ὑποθέσεως ἀφορμὰς μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας τε καὶ φιλοπονίας.* Merito enim multas antiquitates occupat situs et ferrugo nec quidquam ex iis dignum est cognitu, nisi quod faciat ad populorum indolem conformandam et cognoscendam.

Haec ipsa sententia, quam animo tenebamus informatam, ad Aricinas antiquitates componendas nos impulit, non quod iis Latinorum aut omnem indolem aut omnem in vitam Romanam vim nos explicaturos esse speraremus, sed quia ad sacra et Latinorum et Romanorum conformanda permagni momenti fuisse videbatur Aricia. Itaque ut consilium nostrum a vituperatione defendamus, non patronum iactamus Ciceronem, praevaricatum praeterea in gratiam Octaviani (in Rull. II, 35.), licet summis laudibus extollat Ariciam, (Philipp. III, 6.), non ad fidem historiae provocamus, quamvis post Albam captam inter Latinos primae deferantur ad Aricinos: sed libenter concedimus, Ariciam cum reliquis Latinorum civitatibus, uti sole oriente pallescit ceterorum siderum splendor, surgente Roma esse obcaecatam pristinaque potentia spoliata. Verum a pusillo hoc oppido sacrorum Roma-

norum haud exiguam partem esse repetendam evincere studuimus.

Hoc igitur consilium sequentibus, in deorum natura investiganda ac sacris explicandis quid praestare possemus, erat periclitandum. Attamen praeterea quae necessaria videbantur addidimus, locorum descriptionem atque Aricinae historiae enarrationem, utramque ad nostrum consilium aptatam. In describendis locis profecti sumus a Strabone, qui solus ex antiquis scriptoribus de situ agroque Aricino accuratius egit, sed multa erant addenda et ante omnia locus mendis scaetens emendandus, quo loco si quid profecerimus, quam maxime nos iuvabit. In altero autem capite, quod est de historia, de primorum incolarum origine, quippe ex qua apprime pendeat iudicium de natura deorum, fusius anquisivimus, in civitate contra rebusque gestis explicandis et in enumerandis iis, quorum in ditioe hucusque erat ager Aricinus, non multi fuimus, quoniam haec ad nostrum consilium parum valere videbantur. Vitam vero privatam quod ne verbo quidem attigimus, vix veremur, ne vituperationem subeamus. Deinde quaesivimus de singulis numinibus, de Diana, de Virbio, de Egeria cum Anna Perenna et Iuturna; extremo denique capite de sacerdotibus et sacris exposuimus, quid compertum habeamus. Sed quum angustiis, quibus nunc circumventi sumus, quominus edamus totam dissertationem prohibeamur, capita gravissima de Diana et Virbio delibavimus, praesertim quum primum caput, alia oblata opportunitate, iam publici iuris fecerimus.

Iam restat, ut homines doctos, qui de antiquitatibus Aricinis bene sunt meriti, percenseamus, non omnes, quorum sententiae passim erant afferendae, quod longum est, sed eos dumtaxat, qui accuratius et fusius disseruerunt. Profecti quidem sunt a geographia, sed colligerunt etiam veterum de cultu deorum locos, qui admodum sunt multi. Inter hos pal-

nam fert *Cluverius*, cuius diligentia notior est, quam quae laudatione indigeat. Deinde *Kircherus* pauca addidit, quae ad solam locorum descriptionem pertinent. Hunc excepit *Corradinus*, sed quum passim multa, quae auditu sunt digna, protulisset pluraque pollicitus esset, quominus staret promissis, impedit mors. Suscepit porro rem *Vulpus*, qui omnia quidem, quae antea erant prolata, congescit, nunquam autem, si quae sententia erat controversa, suum iudicium interponere ausus est, quem omnino vix loca, quae describit, ipsum vidisse putares, nisi ex laetis lacuturribus summam se voluptatem percepisse dixisset. 1). Horum igitur studiis quae erat congesta rudis indigestaque moles, digerenda et in nostrum usum erat convertenda. Quintum his licet addere *Lucidum*, 2) qui librum singularem conscripsit de Aricia, sed in hoc arcessendo omnem spem hucusque nos frustratam esse perquam dolemus.

Quod reliquum est, meminerint velimus, qui legent, tironis haec esse, non primipili stipendia.

1) *Ph. Cluver.* Ital. antiqu. III. p. 920 — 35. *Ath. Kircher.* vet. Lat. II. c. 6 — 7. *I. Vulp.* vet. Lat. VII. p. 179 — 280.

2) *Lucidi la Riccia.* Rom. 1796.

Caput tertium.

De Diana Aricina.

Dianam Aricinam a Tauris esse petitam, cum *Strabone* (λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρωνα τῆς Ταυροπόλου) ceteri scriptores omnes tradunt.¹⁾ Sed ubicunque haec Diana culta est, nusquam non *Orestes* ea sacra instituisse dicitur, itaque etiam Aricini *Orestem* heroem sibi vindicabant.²⁾ (De incerta vocabuli Ταυροπόλος notione cf. *Hesych. Suid. Etymol. M. s. v.*). Id vero fieri non poterat, nisi utrique deae maxima fuerat similitudo; hinc *Strabo* καὶ γὰρ τι βαρβαρικὸν κρατεῖ καὶ σκυθικὸν περὶ τὸ ἱερὸν ἔθος. Itaque videamus, quibus Graeciae locis *Tauropolis* *Diana* sit culta. Primo igitur *Brauronia* a *Tauris* repeteba-

¹⁾ *Ov. Trist.* IV, 4, 87 sqq. *Valer. Flacc.* II, 305. *Solin.* 2. cum interpret.

²⁾ Antiquissima erat fabula, quae *Orestem* *Ariciae* regnasse ibique mortuum esse ferebat. *Serv.* in *Aen.* II, 116. „*Orestis* vero ossa ab *Aricia* Romam translata sunt et condita ante templum *Saturni*, quod est ante clivum *Capitolii*, iuxta *Concordiae* templum.“ Etiam sceptrum *Orestis* *Ariciae* ostendebatur. (*Wernsdorf.* de pignor. imp. Roman. p. 13 sqq). Praeterea in nemore erat sacellum *Orestis* et *Iphigeniae*. — Errores *Orestis* accuratius persequi longum est, sufficiat laudasse *Hyginum* (fab. 15. 20). Neque mirum est, quod Graecis quoque *Orestes* usque ad mortem in Graecia versatus progeniesque ibi regnasse visa est. (cf. eos, quorum testimonio utitur *Hermannus*, *Lehrbuch der griech. Staatsalterth.* §. 76. 4.).

tur.¹⁾ Deinde Orthia cum Diana Scythica et cum Aricina coniungebatur; *Pausanias* enim (III, 16) Artemin Orthiam e Taurica translata esse ab Oreste Spartam ex Lacedaemoniis ipsis audierat, neque inepta sunt, quae addit ad eius fabulae verisimilitudinem comprobendam, Orestem, Menelai generum Spartaeque quondam regem (II, 18), nullo loco libentius Dianae illius cultum constituisse, quam in suo ipsius regno. Sed Tauricam Lacedaemoniorum deam etiam Aricinae esse consimilem, non fugit Romanos scriptores, quippe *Servius*²⁾ Aricinam deam ad Lacones translata esse narrat. Videmus igitur iam veteres, et Romanos et Graecos inter se comparasse Dianam Scythicam cum Orthia et Aricina; Scythicam porro collatam diximus cum Brauronia, unde sequitur, ut Brauronia aliena non sit ab Orthia, id quod item veterum testimoniis comprobatur. Videsis *Callimachi* hymnum in Dianam v. 174.

Ἥλιθες ἀπὸ Σκυθίας, ἀπὸ δ' εὔπαιο τέθρμια Ταύρων.
et deinde

¹⁾ *Eurip.* Iphig. Taur. c. 1429 sq.

Σὲ δ' ἀμφὶ σεμνὰς, Ἰφιγένεια, κλίμακας
Βραυρωνίας δεῖ τῆσδε κληδουχεῖν θεᾶς.

²⁾ *Serv.* ad Aen. II, 11. Citavimus *Servium*, etsi plane iisdem verbis fabula narratur apud *Hyginum* (fab. 261); sed quum uterque addat, „quum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas Diana translata est“ haec verba ab Hygino proficisci non poterant, quem Romae versatum tempore Augusti, quo regna Nemorensia vigeant (*Ov.* ars. I, 259. *Suct.* Callig. 35), celeberrimus sane isque vicinus cultus fugere non poterat. Itaque nisi omnem illam fabulam Hygino deneges, eicienda saltem sunt verba „quamquam servi immolarentur.“ His verbis expunctis, fabula ab Hygino non abhorret, nam in servi nece Romanis nimia crudelitas inesse non videbatur.

Νήσων μὲν Ἀολίχῃ, πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργῃ,
 Τηϋγετον δ' ὄρεον, λιμένες γε μὲν Εὐρώπιοιο.

Iam soli hi versus deam non modo tribus illis locis, quorum mentionem fecimus, esse cultam, sed etiam in Asia minore aliisque Graeciae regionibus affatim docent. Idcirco pauca e mythologia Graecorum, quae ut olim sic nunc in maiore luce posita est, quam Romanae religiones, ad deos Romanorum illustrandos adhibeamus. De Artemide igitur Graecorum, ut omittamus alios, imprimis egerunt *Buttmannus* et *G. Hermannus* et quem nos maxime sequemur virum de omni philologia optime meritum, *C. O. Muellerus*.¹⁾ Artemidis numen apud Graecos erat duplex, alterum coniunctum cum Apolline, sive fana, sive munera et virtutes spectas, alterum ab eo alienum, altera Artemis virgo, altera genitrix, illa e virtutibus, haec e regionibus, quibus colebatur, plerumque nuncupata (*Mueller. Dor. I, p. 373.*); illam Doriensem, hanc Pelasgicam cum Muellero liceat appellare. Iam hoc discrimen si tenes, Tauropolium cum Pelasgica illa Diana esse coniungendam facile intelligis. Pelasgica imprimis in Arcadia colebatur, ubi cultus multifariam coniunctus erat cum ursis, quin etiam ipsa vocabatur ursa, quod a Doriensi Diana prorsus abhorret; sed in Brauroniae templo quae erant sacerdotes, dicebantur ἄρκτοι.²⁾ Praeterea invenitur Tauropolus, ubi cunque stabiles sedes cepisse feruntur Pelasgi. Eiecti enim ex Attica traiecerunt Samothracen et Lemnum

¹⁾ *Buttmannus* Ueber philosoph. Dentung der griech. Gottheiten, insbesondere von Apoll und Diana. Mythol. I, p. 1 sqq. *G. Hermannus* de Apolline et Diana; duo programmata Lips. 1837. *Muellerus* Dorier I, p. 367 sqq.

²⁾ *Harpocrat.* s. v. ἀρκτηῦσαι. τὸ καθιερωθῆναι τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Μουννηχίᾳ καὶ τῇ Βραυρωνίᾳ· αἱ ἀρκτηύμεναι παρθενοὶ ἄρκτοι καλοῦνται.

eoque sacra sua transtulerunt, hinc *Plutarchum* (Qu. Gr. 21.) recte contendisse apparet, quod Orthiam Lacedaemoniorum a Lemniis cultam esse dicit; alii Brauroniae cultum et simulacrum Lemnum transvectum putabant, (itaque et Brauronia et Lemnia Diana dicebatur *Αἰθονία*. *Eratosth.* ap. *Steph. Byz.* s. v. *Plin.* V, 39.), alii Thoantem Lemnium sacerdotem Tauricae Dianae perhibebant, (*Herod.* VI, 138.). Sed iam satis testimoniorum attulisse nobis videmus, quae Tauropolium fuisse demonstrent Artemin Pelasgicam et quum Aricina Diana item sit Tauropolus, apparet,

I. *Dianam Aricinam ad Pelasgos, sive, si nostram de Siculis sententiam comprobaveris, ad Siculos esse referendam.*

Dein a vero aberrare non videbimur, si Tauricae et Pelasgicae Dianae quae sint communia, in iis potissimum deae proprietatem et quasi fundamentum antiquissimi Aricinarum cultus versari putamus. Attamen quum de Taurorum cultu nihil constet, nisi eum et crudelem fuisse et cum orgiis fuisse coniunctum,¹⁾ aliunde comparationis ansa nobis est quaerenda, neque ea difficilis, opinor, inventu. Sicut enim Pelasgi, ubicumque novas sibi sedes comparabant, omnem veterem cultum sanctissime servabant, ita in omnibus migrationibus hanc quoque deam secum portabant; itaque si recte superiore capite de Pelasgis disseruimus, etiam in Asia Tauropoli Dianae vestigia inveniantur necesse est; neque desunt veterum scriptorum gravis-

¹⁾ *Soph.* Ai. v. 172. Ajax a Tauropolo Diana insaniam sibi putat immissam. Adde annotationem *Hermani*: „Dianam Taurop. Graeci ipsi omnium minime perspectam habuerunt. Illud tamen non obscurum est, translatas esse appellationes istas ad feritatis et crudelitatis significationem.“

sima testimonia. Aperte innuit Pausanias (III, 16, 6.) καὶ τοὶ διαμέμνηκεν ἔτι καὶ νῦν τηλικούτο ὄνομα τῆ Τανρικῆ Θεᾶ, ὥστε ἀμφισβητοῦσι μὲν Καππάδοκες καὶ οἱ τὸν Εὐξείνον οἰκοῦντες τὸ ἄγαλμα εἶναι παρὰ σφίσιν· ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ἀσδῶν οἷς ἐστὶν Ἀρτέμιδις ἱερὸν Ἀναΐτιδος. Ἀθηναίοις δὲ ἄρα παρώφθη γενόμενον λάφυρον τῷ Μήδῳ· τὸ γὰρ ἐκ Βραυροῶνος ἐκομίσθη τε ἐς Σοῦσα. Sed illi Καππάδοκες καὶ τὸν Εὐξείνον οἰκοῦντες sunt sine dubio utrique Comani, nam ad Comanos et Cappadociae et Ponti Tauricae Dianae simulacrum Orestem Strabo XII, p. 535. aliique perhibent portasse. Cultum deae Comanae ab Heynio (de sacerdot. Coman. in nov. Comment. Soc. Scient. Gotting. T. XVI, p. 117 sqq.) accurate perscriptum, omittimus; id tantum addimus, esse, qui Amazonum, a Maeotica palude, i. e. ex Taurorum vicinitate profectarum, fabellas ex magna sacrarum servarum turba, quae erat Comanis, exortas existiment.¹⁾ Mittimus etiam Ephesum aliaque eiusdem littoris oppida, Dianae cultu insignia, quippe quae adventiciis cultibus inquinata, in nostrum consilium minus quadrent. (Creuzer. Symbol. [1820] II, p. 115.). Ipsa vero Diana Comana nomen erat Graecis ambiguum, aliis enim Luna, aliis Minerva, aliis Bellona, aliis Diana videbatur.²⁾ Haec quamvis satis sint incerta, dea tamen, ἣν τιμῶσιν
Ῥω-

¹⁾ *Toelkenius* (über Basrelief. p. 210.) comprobatum *Boeckhio* (de Hierodulis p. 55.) et *Muellero* (Dor. I, p. 388.)

²⁾ *Plut.* Sull. 9. Λέγεται τῷ Σύλλᾳ φανῆναι θεὸν, ἣν τιμῶσιν Ῥωμαῖοι παρὰ Καππαδόκων μαθόντες, εἴτε Σελήνην οὖσαν, εἴτ' Ἀθηνᾶν, εἴτ' Ἐνύω. *Strab.* XII, p. 535. τὰ δὲ ἱερὰ ταῦτα δοκεῖ Ὀρῆστῆς — κομίσαι δεῦρο ἀπὸ τῆς Σκυθίας Τανρικῆς, τὰ τῆς Ταυροπόλου Ἀρτέμιδος. Ceterum de immanitate, qua Comani deam colebant, vide *Boettigerum* (Ideen zur Kunstmythologie I, p. 368.)

Ῥωμαῖοι παρὰ Καππαδόκων μαθόντες, (*Plut. Sulla* 9.), quae fuerit, dubitari non potest, nam una, quam ex his regionibus accessitam colebant Romani, erat Cybele, quae turrita aliis sane Minerva, aliis Bellona videri poterat, sed re vera erat Terra ipsaque Natura genitrix (*Lucret. II, 599* sqq.). Atque plane eodem munere fungebatur Artemis Pelasgica, namque et fontium custos terram irrigabat frugiferamque reddebat, et pullos infantesque curae habebat (*Mueller. p. 379.*). Haec igitur erat prima Tauropoli virtus et natura, itaque etiam

II. *Aricina Diana antiquitus erat alma Natura, omnisque vita genitrix.*

Recte *Muellerus* (p. 386.) contendit talis deae quasi tesseras esse orgia et hostias humanas, quarum vestigia iis locis, ubi Tauropolum Dianam cultam esse diximus, satis perspicua sunt. Hinc Comanis, ut Cybelen omittamus, furiosorum et virorum et feminarum impudicae saltationes, hinc insania Aiaci a Taurica Diana, Astrabaco et Alopeco ab Orthia, (quam vix seiunges a Dionyso Ortho), immissa est, furoremque ab Aricina immissum postea comprobabimus. Humanis autem hostiis sublatis ad iram deae avertendam in Asia vel nobilissimae puellae in honorem deae corpora vulgabant, in Attica ἄρπτοι constituebantur, Spartam puerorum διαμιστήγωσις pertinebat, sed veterem morem, si fabulis habenda est fides, retinebant et Tauri et, pro religione sua priscorum institutorum Aricini. — Haec de prima natura Dianae sententia si reiicitur, equidem non assequor, qui factum sit, ut Graeci virginem Artemin cum multimammia, quae Ephesi et in aliis Asiae oppidis colebatur, confundere potuerint. De hac vide, qui omnino ex nostra sententia disputavit, clarissimum *Beckerum* in *Augusteo I, XIII, pag. 88.*

Sed quum veteres omnis vitae causam referrent ad lunam (*Plut.* de facie in orb. lun. p. 954), mirum non est, quod ubique Tauropolis Diana lunae numen erat. Hinc Cybelae ab artificibus ad laevam lunae symbolum addebatur, hinc dea Comana multis videbatur luna, hinc apud Athenienses deae cognomen erat *Αἰθιοπίως* eique decimo anni mense accensis facibus sacrificabantur *ἀμφιγῶντες*, quia luna in pugna Salaminia Graecos adiuvisset (*Plut.* de glor. Ath. 7.). De Orthia vide *Hermannum* (de Apolline et Diana part. I. p. 11.) et de Chryse Lemniorum *Muellerum* pag. 284 sq. Aricinam vero Dianam non minus pro luna esse habitam docent inscriptiones (ap. *Spon.* Sect. III. p. 90.) et ipsam deae simulacrum facem tenens, et mulieres accensis facibus deae vota persolventes. Denique hoc loco Anaitidem subiungimus lunae deam, cuius mentionem facit *Pausanias* I. c. ¹⁾; nam a Persis lunam imprimis cultam esse notissimum est. Huius deae tauros facibus signatos invenit Lucullus (*Plut.* Luc. 24.), etenim tauri Lunae praecipue erant sacri, non modo Tauropolo, sed etiam Isidi, Aegyptiorum Lunae, (*Boettig.* I. I. p. 420. *Liv.* I, 45. *Plut.* Qu. R. 4.). Itaque etiam Tauropolis et

III. *Aricina Diana lunae erat numen.*

Quum autem omni naturae, id quod etiam sibi volebant primi philosophi, ad vitam sustentandam aqua opus esse nemo non intelligeret, deae illi omnium rerum effectrici aptior non erat locus, quam in silvis

¹⁾ *Herm.* I. I. part. II, p. 11. „Quum cognatos inter se esse Graecos et Persas linguarum comparatio docuerit, etiam de rebus divinis consimilia utrumque populum sensisse credibile est. Defendit eam sententiam, ut alios taceam, etiam *A. Bocckhius* in fine eius dissertationis, quam de Midiana oratione Demosthenis scripsit.“

aquosis, in quibus eligendis mirabilem curam ponebant Pelasgi. Nam ut omittamus Persicae Dianae celeberrimum fanum ad lacum salsum et fontem Rogomanis fluvii in collibus Parachoatrae situm, de utrorumque Comanorum et Taurici luci maxima similitudine *Procopii* testimonium sufficit.¹⁾ Sic etiam Nemus non aliter, atque omnia Artemidis Arcadicae fana (*Mueller*. p. 475.), ad lacum saltibus cinctum et ad fontem Numicii situm fuisse diximus.

Diana vero, si revera Diana tanta erat dea, quantum nos affirmavimus, necesse est fuerit si minus unica, certe primaria Pelasgorum dea, id quod etiam summa religio, qua deam per tot terras secum portabant, coarguere videtur. Celeberrimum vero Pelasgorum templum erat Dodonaicum, in honorem Iovis et Dionae exstructum. Sed Dionen diversam non fuisse a Diana iam ipsum nomen comprobat, quod quin penitus idem cum hoc sit, nemo, opinor, dubitat, etiamsi illud *Ἥρα Διαινή* *Apollodori* ap. Schol. *Odyss.* γ, 91, librarii mendum esse putat. De cultu porro Dodonaeae Dionae nihil compertum habemus, nisi coniugium Iovis; attamen id recte contendere nobis videmur, deam maioris fuisse momenti, quam postea vulgo putabant, quippe in qua et Iunonis et Veneris et Proserpinae

1) *Procop.* *Bell. Pers.* I, 17. Ἀμφὶ τῇ νόσῳ πυνθανομένων (τῷ Ὁρέστῃ) χρῆσαι τὸ μαντεῖόν φασι, οὐ πρότερον λωφῆσειν αὐτῷ τὸ κακόν, πρὶν τῇ Ἀρτέμιδι ναὸν δειμασθαι ἐν χώρῳ τοιοῦτῳ, οἷον δὴ τὸν ἐν Ταύροις ξυμβαίνει εἶναι, — περιουσι τὰ ἐκεῖνη χωρία ἐν Πόντῳ γενέσθαι κατιδεῖν τε ὄρος, ὃ δὴ ἐνταῦθα ἀπότομον ἀπεκρέματο, ἔβλεπεν τε ἔνευθε πρὸς τοῦ ὄρους ποταμός Ἴρις. — αἰσθόμενον δὲ τὸν ἀνθρώπον ὡς οὐκ ἐπιτηδείως ταῦτα τῷ μαντεῖῳ ποιούη, ἅπαντα αὐτῆς περιμόντα σκοπεῖσθαι, καὶ χώρόν τινα ἐν Καππαδοκίαις εὔρειν τῷ ἐν Ταύροις τὰ μάλιστα ἐμφορέστατον, ὅνπερ καὶ ἐγὼ πολλάκις ἰδὼν, ἠγάσθην τε ὑπερφυῶς, καὶ μοι ἐδόκουν ἐν Ταύροις εἶναι.

vestigia reperiantur.¹⁾ Recepta vero *Creuzeri* (IV, 163 sqq.) de Dione sententia vix dubitaveris, quin Dione vitae illa genitrix fuerit; ea vero dea, nullum numen, quod maius esset, cogitari poterat. Itaque proprie dicta est dea, nam *Διώνη* sive *Δαίωνη* repetita a vocabulo *Διός*, et Diana sive Deana (*Fabrett.* inscr. c. 6. n. 19. p. 435.) a dio sive deo, nihil aliud significant nisi deam. Quum porro Prisciani loco comprobaverimus, Dianam Aricinam eodem in honore fuisse apud omnes Latinos, quam Iovem Albanum, recte contendere nobis videmur,

IV. *Aricinam Dianam primariam Sicularum deam fuisse.*

Periucunda sane est quaestio, quomodo una haec dea pro diversa populorum indole sit conformata; attamen ne nimis procul ab Aricino agro vestigia Aricinae Dianae quaesivisse videamur, paucis hac de re insertis, in Italiam nos revocemus. Comani quidem, ut gens bellicosa, bellicam deam armatorum saltationibus colebant, unde etiam bellonarii, Cybeles fanatici illi sacerdotes, orti sunt. Graeci autem ad unam deam omnes virtutes referre nolebant easque in plures deas dispertiebantur, id quod accuratius persequitur *Creuzerus*.²⁾ Iovis coniugem Graeci postea nuncupabant *Ἥρα*, in quo nomine explicando frustra desudavit *Buttmannus* (Myth. I, p. 8.); nam Dione appellata

¹⁾ Cf. *Buttmann.* Myth. I, p. 22 sqq., qui Gronovii sententiam de Proserpina cum Dione coniungenda male improbasse videtur. (*Creuzer.* IV, p. 163.)

²⁾ Paucissimis verbis, quae sibi effecta putat, pronuntiat III, p. 202. „In dieser Einheit barbarischer Gottheiten ist aber die Quelle jener Vielheit aufzusuchen, die die Griechen und Römer so reich an Göttern machte.“

est ἥρη, uti Proserpina δεσποίνη. Quomodo denique Diana Doriensis cum Pelasgica sit iungenda, bene exposuit *Muellerus* (p. 380.).

Iam vero quaerendum est, quomodo Latini naturae illam matrem sibi conformaverint. Multi quidem de cultu Aricino sunt poëtae, nam a Lucilio usque ad Claudianum vix est, ad quem ab Aricinis antiquitatibus lux non redundet; sed quum ipsi haud secus, atque omnis aetas Augusto posterior graecati sint, genuinam deae naturam magis obscurarunt, quam illustrarunt. Quodsi ab inanis loquacitatis vituperatione hucusque nos satis defendisse videtur ipsa necessitas, in Asiam et Graeciam nos deducens, hoc loco ad summam antiquitatem ascendentes patronum nacti sumus, *Boettigerum*, cuius verba, quae omnino consilium nostrum comprobent, ipsa referenda duximus. (I. c. I, p. 420.) „Man kann sagen, dass in der noch genauer zu entwickelnden Geschichte des Tempels und Tempeldienstes der nemorensischen Diana zu Aricia nach seinen verschiedenen Epochen der ganze viel gestaltete Mythos der Artemis-Diana enthalten sei, so wie er vom Naturdienst der uralten Stier- und Mondgöttin in die Gestaltung der lycischen Zwillingschwester des Apollo und der kretischen Jägerin, Britomartis, überging.“ Hic locus aperte demonstrat, *Boettigerum* quoque de prima deae natura nobiscum consentire, etsi ipse deam a Poenis vult allatam esse, qui iis locis, quibus emporia constituissent, indigenas et cultu libidinoso allexissent, et crudeli coërcuissent, (p. 366.), id quod nec nobis verisimile videtur, nec facit ad ipsam deae naturam.

Ut deae historiam, quam alteram quaestiunculae partem efflagitat *Boettigerus*, constituamus, ante omnia tenendum est, Dianam Latinorum fuisse deam primariam et propriam et ab iis Romam transla-

tam.¹⁾ Utramque rem testatur *Livius* (I, 45.), qui *Servium* ad foedus, quod supra commemoravimus, sustentandum, Dianae templum in Aventino extruxisse narrat. Addit sane *Livius*, Dianam regi idcirco imprimis placuisse, quia Ephesiam Dianam Asiae minoris civitatibus communem esse audivisset: spectasse igitur inivit *Servium* foedus Ionicum, cuius quidem foederis sacra erant penes Ephesios; sed si illius foederis notitiam habebat *Servius*, id quod pro Graecarum coloniarum vicinitate non negamus, certe eum non fugiebant Panonia et conciliabulum civitatum ad aedem Heliconii Neptuni, concilia enim ad templum Dianae (*Boeckh. C. inscr. II, n. 2909.*) recentioris demum aetatis fuisse videntur. Sed quae fuerit *Servio* causa, vix dubium videri potest. Nam quum aequo iure populi coniunguntur et quasi in unam civitatem rediguntur, id fere numquam fit, nisi cum eo, ut sacrorum praecipuorum sit communio (*Liv. VIII, 14.*). Apud Latinos autem praeter Iovem, qui utrisque erat communis et Romanis et Latinis, summo erat in honore Diana, ut *Niebuhrus* (I, p. 610. annot. 1221.) Aricinis idcirco totius Latii imperium et principatum vindicet, quia Dianae iis fuit celeberrimum templum: Romae contra Diana eo tempore non colebatur, nam *Servius* primus deam transtulit Romam (*Plut. Qu. R. 100.*); ergo vix aliud numen recipi poterat, quam Diana, quae etiam in colle Aventino mansit dea plebis, ex Latio antiquitus maxime oriundae.

Si igitur prisca Latinorum Diana naturae erat dea, omnes deae Latinae, praeter eas, quae erant adventiciae et serioris temporis, ex hac una sint ortae

¹⁾ Quod dicit *Varro* (L. L. V, 74.) Dianae nomen e lingua Sabinorum et Latinorum repeti posse, vix dignum videtur, quod afferamus, praesertim quum ipse *Varro* paulo antea Dianae nomen esse Latinum affirmaverit.

et ad eam referendae necesse est; id quod *Creuzerus* in mythologia Graeca efficere studuit. Sed quum haec sola quaestio per se satis magna sit, ut nostram sententiam si minus evincamus, certe comprobemus, paucis dicamus de iis deabus, quas primarias *Ennius* comprehendit hexametro:

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus

Inter has Minerva omnium consensu Tusca est, Iunonem ad Dianam referri posse, postea demonstrabimus, si omnino demonstratu opus est, Aricinam Dianam habitam pro Vesta esse docent inscriptiones (ap. *Thomas. de donar. 14., Ligor. Msc. Othobon. 44.*). Ceres vero seiungi non potest ab Ope, quae eadem est Diana. (*Paus. III, 16.*) Praeterea de Cerere et Venere vide *Ciceronem N. D. III, 23.* Sed optime rem illustrat *Apuleius Metam. 11.* „Regina coeli, sive tu Ceres, sive tu coelestis Venus, seu Phoebi soror, seu horrenda Proserpina, quoquo ritu, quaqua facie te fas est invocare.“

Veteres quidem Latini summa verecundia maiorum mores servabant, quum in aliis rebus, tum in cultu deorum, unde explicatur id quod *Creuzerus* docet, Latinos deos multo magis quam Graecos Asiam sapere. Verum ubi Graeci dii Romam occupabant, ii tantum manebant integri et Graecos modos repudiabant, quorum similes Graecis non erant, ut Ianus ¹⁾, cuius numinis interpretatio quippe quae ad genuinos Latinorum deos cognoscendos aptissima sit, recentioris temporis homines doctos maxime allexit. (*Buttmann. Mythol. II. p. 70 sqq. Boettiger. l. c. I. p. 247 sqq.*) Ianus enim numen est funditus Latinum nec Graecis ad-

¹⁾ In eo numine explicando inopiam suam teiusque causam profitetur *Ov. Fast. I, 89.*

Quem tamen esse deum te dicam, Iane biformis?
Nam tibi par nullum Graecia numen habet.

ditamentis inquinatum; Iani autem coniux, id quod etiam nomen docet, Diana est, (*Bullmann. p. 72 sq.*), nam recte *Augustinus* (de civ. dei. III, 12.) antiquitus omne numen divisum fuisse in marem et feminam contendit; itaque ex Iani natura licet coniicere Dianam. Sed Ianus est claviger et clavis summae potentiae signum, quod non modo invenitur apud Aegyptios Osirin et Isin, sed etiam apud deam Pergamenam (*Eckhel. III. p. 13.*), quam a Diana Aricina diversam non fuisse versus *Callimachi* supra excitati demonstrant. Crux enim ansata nihil aliud est, quam clavis (*Boettig. p. 248.*). Idcirco Ianus ex omnibus diis primus in votis invocabatur. Praeterea Ianus temporum erat deus, itaque primus mensis ei erat sacer et penes eum omnino temporum cura (*Macrob. I, 9.*); temporum autem deus isque omnium supremus alius esse non potest, quam Sol. Sed summum imperium mox transiit ad Iovem, qui re vera alius non est quam Ianus, mutato paululum nomine, sed postea alius fiebat deus. Quum denique anno urbis trecentesimo vigesimo quarto in civitatem Romanorum reciperetur Apollo (*Liv. IV, 29.*), qui tum Graecorum erat Sol, etiam hoc munere spoliatus ex prisca potentia nihil retinebat, nisi summi quondam imperii obscuram memoriam (*Macrob. l. c.*) et ianuarum tutelam, aut ad clavem aut ad fortuitam vocabulorum similitudinem referendam. (*Bullm. p. 78 sq.*)

Coniugem autem Iani inter deas olim tenuisse imperium et lunae praefuisse necesse est, id quod plane aliunde exorsi supra demonstravimus. Cum hac dearum regina certamen iniit Iuno, quae ab initio item plane eadem erat dea, sed mutato sensim nomine alia fiebat. Neque vero primo impetu cessit Diana Iunoni, ut Ianus Iovi, nam Diana suo iure tenebat imperium, Ianus, ut ita dicam, usurpaverat. Nomen enim Iovis vetustius, Iani recentius esse nemo non intelligit, itaque recte Iovis (haec nominativi forma exstat in fragmento Ennii), *Αἰὼς*, deus, imperium a Iano ereptum recu-

recuperabat. Sed inter deas nomen Dianae vetustius est, quod comprobatur, praeter leges etymologiae, Dione sive Diaene, de qua supra disputavimus, et utraque Corne. Corne enim erat collis ad Tusculum, in quo sanctissime colebatur Diana (*Plin. XVI, 44. 91.*); altera Corne sita erat in Cappadocia ad Comana. Quodsi locorum nomina tam religiose videmus servata, multo magis ipsius deae nomen integrum secum transulisse puto Pelasgos, ut non dubitem, quin Comana quoque dea quondam vocata fuerit Diaena sive Dione, uti dea Dodonaca. Iunonem Romani receperunt a Veientibus et templum ei dedicarunt in colle Aventino, in quo etiam Dianae erat fanum. Utramque vero deam iisdem muneribus functam esse in propatulo est; utraque erat Lucina, sive ad puerperium hoc nomen refertur, sive ad lunam, nam etiam cum luna coniungitur Iuno (*Covella. Varro L. L. VI, 27.*); utraque Sospita. Omnino cessasse Iunonis auctoritati videtur Diana, quum Romani victores etiam deorum Capitolinorum imperium constituerent. Sed etiamsi Latini auctoritatem Dianae diu servabant,¹⁾ tamen in Latio talis dea, qualis erat Comana, constare non poterat; idcirco *Boettigerus* (p. 278.) Cybelen unquam deam Romanam fuisse negat, quamquam multis, qui Asiae moribus indulgebant, in seculo fluctuante et corrupto is cultus perplacebat. Latini, quatenus eorum priscos mores perspicere nobis licet, non minus recedebant a pantheismo, quem dicunt, Asiaticorum, naturae magnitudine et splendore oppressorum, quam a Graecis, qui singulari ingenii virtute fabulis artibusque vastum illum pantheismum animabant et exornabant. Latini enim simplicia symbola constituentes suum sibi Olympon sensim fingebant, ab deorum nu-

¹⁾ Haudquaquam me fugit a Lanuvinis aliisque Latinis cultam esse Iunonem, sed hic cultus Aricino multo recentior est.

mero Graecis quidem inferiorem neque artibus magnifice excultum, verum ad rationis normam articulatam, ut nec repugnantia iungerent, nec congruentia temere secernerent. Postea sane divisus ex more Graecorum numinibus novisque diis receptis illum ditare studebant. Naturae autem dea si eo modo quasi finditur, certe remanet prima virtus, gignendi vis, quam veteres et recentiores cohaerere putabant cum Luna (*Plut. de fac. in orb. lun. p. 827. Wytttenb.*). Itaque Diana et frugibus et silvis et animalium hominumque partu erat praeficienda, et re vera, quod mox demonstrabimus, his muneribus fungebatur. Vix vereor, ne quis Opem, Saturni coniugem, quae frugibus et omnino iisdem muneribus praeerat, quae Dianae vindicavimus, (*Festus s. v. Augustin. de civ. D. IV, 11. et 21.*) mihi obii-
 ciat, nam Ops nihil erat, nisi mutato nomine Diana, si quidem Lacedaemoniorum Orthia dicebatur *Ὀρπία* (*Paus. III, 16.*). Aliis porro Ops vocabatur Bona dea (*Boettiger. p. 278.*), neque haec diversa erat a Diana, unde etiam Aricina Diana audiebat Bona dea (*Ligor. s. v. Tarchitiano*); et in eius deae cultuprehendisse nobis videmur arcana sacra, quae etiam in Italiam cum cultu Pelasgicae Dianae transiisse supra diximus (*Plut. Caes. 9. Iuv. Sat. VI, 314 sqq.*). Receptae in Italiam Cereri (*Cic. pro Balbo 24.*) deinde frugum cura mandata est. Quod denique Luna dea commemoratur, non repugnat Dianae naturae, qualem proposuimus, nisi forte apud Graecos Artemis ad lunam non pertinuit, quia praeterea Selene ab iis colebatur. Ceterum harum dearum arctissimam coniunctionem optime persentiscebant Romani, qui omnium templa in uno colle Aventino collocarent. ¹⁾

¹⁾ De Iunone *Varro L. L. V, 67. P. Victor. reg. urb. XII. de Cerere Tac. Ann. II, 49. de Bona dea Corn. Labeo ap. Macrob. Sat. I, 12. de Luna Tac. Ann. XV, 41.*

Sed restat, ut hanc sententiam certis testimoniis sustentemus. Antiquissimorum cultuum, quos mutavit tempus, obcaecata vestigia perscrutanti, tria relicta sunt auxilia, quae morum patriorum religio a novandi studio plerumque defendit, carmina prisca sanctissime tradita, sollemnia certis legibus circumscripta, deorumque simulacra et donaria, quo vetustiora, eo magis celebrata. Sed ex carminibus, quae quidem temporis iniuria non delevit, unum duntaxat ad hanc quaestionem aptum est, quod primariam Dianae naturam quaerentibus commendat *Boettigerus* (p. 252.), *Horatii* carmen seculare. Verum pro singulari in nostram rem usu, antequam ad ipsum carmen aggrediamur, de ludis pauca praemittenda videntur. Carmen illud seculare *Horatius*, ut *Suetonius* testatur, ab *Octaviano* componere iussus est ad ludos seculares celebrandos; nam lege cautum erat, ut duo carmina in singula secularia componerentur, nova quidem, attamen ad certam eamque vetustam legem descripta, unde *Diana*, ut docet *Boettigerus*, in hoc carmine plane alia est, quam in reliquis *Horatianis*. Ludos autem seculares in honorem *Dianae Latinae* institutos esse argumentis certis, ni fallor, evincam. Scripserunt quidem aliquammulti et docti homines de ludis secularibus,¹⁾ sed ad liquidum fere nihil perductum est, neque omnes difficultates hoc loco persequi nostrum est. De origine ludorum notissimae sunt fabulae *Volusi Valesii* (*Val. Max. II, 4, 5.*) et sententia *Varronis* (ap. *Censor.*

¹⁾ Singulares libros de ludis secularibus composuerunt *Onuphr Panvinus* et *P. Taffinus*, quorum dissertationes recepit *Gracvius* in thes. tom. IX. et VIII. *I. A. Turretinus* Genev. 1701. *Chr. Fr. Acyrmannus* Vitemb. 1707. *I. M. Gesnerus* Vimar. 1717. Gesneri et Acyrmanni libri ad manus nobis non erant, attamen eos nihil, quod magni momenti sit, attulisse novi inde colligimus, quod carminis interpretes eorum non faciunt mentionem.

de die natal. 17.), sed haec ad primos quidem ludorum dies quadrant, ad tertium diem, quo canebant pueri et puellae carmen seculare, nullo modo referri possunt, id quod iamdudum perspexerunt, qui de ludis secularibus scripserunt et accuratissime explicavit doctus quidem vir seculi septimi decimi.¹⁾ „Venit,“ inquit, „in mentem suspicari, alios ab initio fuisse Terentinos, alios seculares ludos, sed communi tandem nomine permixtos. Et Terentini quidem Diti ac Proserpinae, seculares Phoebō et Dianae potissimum sacri perhibentur. Terentinos pro avertenda pestilentia constat primum fuisse institutos, seculares laetitiae erant et publicae gratulationis, Terentini non nisi nocte et hostiis furvis peragebantur, seculares palam et albis victimis.“ Quodsi Terentini referuntur ad fabulas Volusi Valesii, quaeritur, illi, qui seculares vocantur ab viro docto, unde sint orti. Eo loco succurrit *Phlegon Trallianus*, qui ludos institutos vult in foedere cum Latinis, qui iterum iterumque rebellassent, icto;²⁾ id testimonium ab omnibus hucusque neglectum esse perquam miror. Comparanti autem verba Phlegontis „τῶν συμμάχων μὴ ἐμμενόντων ταῖς συνθηκαῖς, ἐπιτελεῖσθαι τῶν θεωριῶν τούτων, ὑποταγήσεσθαι τοὺς ἀφεστῶτας Λατίνους“ cum iis, quae supra de rebus Latinorum diximus, vix dubium videbitur, quin foedus Servii spectaverit Phlegon.

¹⁾ Imago primi seculi societatis Iesu, a Patribus Flandro-Belgis edita 1641.

²⁾ *Phlegon Trall.* de longaev. c. 4. Τὴν δὲ γενεάν Σίβυλλα ἱστορεῖ ἐτῶν ἑκατὸν δέκα ἐν τῷ χρησμῷ, τῷ πρὸς Ῥωμαίους περὶ τῶν αἰωνίων θεῶν, ἃ Ῥωμαῖοι Σεκουλάρια καλοῦσι. Τῶν γὰρ συμμάχων αὐτῶν καὶ κοινωνῶν μὴ ἐμμενόντων ταῖς συνθηκαῖς, ἀλλὰ πικρὰ μεταβαλλομένων καὶ πολέμου των αὐτοῖς, ἡ Σίβυλλα ἐχρησμάδησεν, ἐπιτελεῖσθαι τῶν θεωριῶν τούτων, ὑποταγήσεσθαι τοὺς ἀφεστῶτας Λατίνους.

Nam si templum Dianae ad exemplum Ephesiae Dianae Servius extruxit, sane mirum esset, nisi etiam ex more foederum Graecorum ludos instituisset. Accedit, quod etiam tempus optime ad nostram sententiam quadrat, si omnino in tanta vetustate accuratiorem temporis rationem habere licet. Nam sive cum *Idlero* (techn. Chronol. II, p. 74 sq.) centum annorum fuisse putas seculum, sive cum *Scaligero* (de emend. temp. p. 182.) et *Niebuhr*io spatium habes centum et decem annorum i. e. sive secundum historiarum scriptores anno Urbis trecentesimo quinto, sive ex commentariis Quindecimvirorum anno ducentesimo nonagesimo octavo ludos primo putas iteratos: utrique dempto seculo originem ludorum ad regnum Servii referunt. Eo foedere imperatum erat, ut rex Romanorum pro Latinorum salute in Aventino vota faceret, uti dictator Latinus pro incolunitate populi Romani in monte Albano. Ad haec adde ipsius carminis versus sexagesimum sextum et sequentes, neque ulla tibi dubitatio relinquatur. Quum autem Aventinam Dianam esse Latinam et Latinam imprimis Aricinam supra ostendisse nobis videamur, recte hoc carmen ad Dianae Aricinae, qualis erat tempore Servii Tullii, naturam cognoscendam adhibetur. Et hoc carmine Dianae vindicantur eae virtutes, quas modo deae Latinae proprias diximus. Est silvarum potens (v. 1.), lucidum coeli decus (v. 2.). Ilithyia (v. 14.), Pronuba (v. 20.), Ceres (v. 30.). Venatricem in hoc carmine Horatius non commemorat, nam silvarum potens est custos silvarum, non venatrix; neque vero putandus est hanc deae virtutem omisisse Horatius, quasi vero ad gloriam imperii Romani nihil pertineat; nam Apollinis, qui pro Iano est susceptus, (*Nigid.* ap. *Macrob.* I, 9. *Boettiger.* p. 252.), virtutes omnes, etiam quarum vis ad imperium Romanorum augendum plane nulla est, nihilominus refert (v. 61 sq.). Haec prima in historia Dianae Aricinae est aetas. Simulacra hoc tempore non fuisse viden-

tur, nam veteres Latini aut nullis, aut admodum rudibus deorum simulacris antiquitus utebantur. (*Plut. Num. 8. Varro ap. August. de civ. dei. IV, 31.*) Si quod erat Dianae signum, Iani alterum caput fuisse putamus, de cuius natura disputat *Boettigerus* (p. 250 et 263 sqq.).

Sed mox curam frugum cessit Cereri, itaque manserunt tutela lunae et puerperii, quam coarguunt mulierum sollemnia, accensis facibus pro felici partu vota nuncupantium et ipsum deae vetustissimum simulacrum facem tenentis. Nam sollemnia venatorum ad recentissima pertinere tempora nec Latinis propria esse, capite sexto ostendemus. Haec igitur secunda deae aetas.

Postea denique e Graecia Artemis arcessebatur, quae quasi soror Dianae Latinae cum ea habebat communem tutelam lunae, puerperii, silvarum; facile igitur hae deae comparabantur et confundebantur. Apollo contra, quum eius religionem recipiebant Romani, hac sola virtute congruebat cum Iano, quod solis erat numen, ceterae enim virtutes ab Iano alienae erant. Itaque recepto Apolline, ne duos soles colerent, alterum utrum cedere necesse erat et nimirum magis placebat Apollo, fabulis et artibus multo magis exornatus. — Sed aliud Dianae contigit, quippe quae maxima ex parte cum Artemide congrueret. Quas praeterea proprias virtutes numini addiderant Graeci, ex ipsa deae natura erant profectae nec toto coelo distabant a Diana Latina, itaque facillime ad eam transferri poterant. Quoniam igitur Artemis Graecorum sensim venatorum dea facta est, (*Buttm. Myth. I. p. 16. et quod magis arridet Mueller. p. 380.*), idem munus in se recepit Diana Latinorum; tum in eius honorem sollemnia venatorum instituta, tum simulacra deae venatricis arte Graecanica sunt conformata et ex iis sunt, quae ad Ariciam et deae simulacra et donaria sunt eruta, quo-

rum ne unum quidem antiquitatis speciem prae se fert ¹⁾. Hanc vero virtutem, quae ex ipsa deae natura petita esset, a Latinis esse adoptatam, quis improbat? Sed una receperunt fabulas, quae ad loca, quibus in Graecia colebatur Artemis, optime quadrant, translatae autem temere in Italiam sunt ineptissimae, ut sane mirere, fuisse olim, qui hasce fabulas mythicis narrationibus inter se coniungere studerent, cuius rei luculentum exemplum proponemus Virbium. Haec denique tertia in historia Dianae est aetas.

Ceterum quoniam tria haec aetatum discrimina non subito exorta sunt, semperque veteris cultus mansit memoria, Dianae numen difficiliter redditum est explicanti.

Verbo tantum attingere liceat opinionem *Hartungii* (*Religion der Roemer* II, p. 216.), qui *Libitinam* fuisse contendit *Nemorensem* deam; id, si probabilibus argumentis comprobasset, gratissimum nobis esset, qui libenter, quae fortasse antiquissima habenda essent *Proserpinae* vestigia, in primam, quam constituimus, aetatem referremus; sed unicum argumentum falsa *Maiorum* explicatione niti, eo, quod sequitur, capite ostendemus.

¹⁾ Idcirco nolumus ambiguum illud Dianae simulacrum in Latii nescio quo templo repertum et in palatio Ducis Braschi Romae propositum, in nostram rem convertere, etsi dignissimum est secunda deae aetate. *Sickler*. *Alman. aus Rom.* II, p. 141—50.

Caput quartum.

De Virbio.

Quod superiore capite questi sumus, locos, quibus Dianae genuina natura esset explicanda, Graecis fabulis esse corruptos, id multo magis valet in Virbium, solius Aricinae Dianae comitem, ad quem nunc nos convertimus. De eo deo *Buttmannus* epistolam dedit ad *Uhdenium*, statuam, quam hic habebat Virbii, illustraturum¹⁾, in qua commentatione omnia fere veterum scriptorum de Virbio testimonia, quae sunt perpauca, contulit. *Uhdenius* quidem, pro consilio, quod sequebatur, nihil de Virbii natura et origine disseruit; *Buttmanni* vero sententiae, etiamsi probabilior esset, non subscriberemus, quippe quae a falso principio exorsa videatur. *Buttmannus* enim, secutus ea in re exemplum plurimorum poetarum Romanorum, Virbium diversum esse ab Hippolyto negat, de qua re priusquam iudicium feramus, pauca de Hippolyto praemitenda sunt.

Hippolyti Atticam fabulam maxime celebravit Euripides; neque vero reliqui Graeci cum Attica fabula conspirant. Exstabat enim memoria Hippolyti in quatuor Graeciâe oppidis, Athenis, Troezenae, Epidauri, Sparta. Euripides igitur secutus est fabulam Atticam, quae

¹⁾ Utraque et *Uhdenii* et *Buttmanni* dissertatio exstat in act. academ. Berolin. anni 1818 — 19. philol. Class. p. 190 sqq. *Buttmannus* suam de Virbio commentationem recepit in *Mythologum* (II, p 145 sqq.).

quae Hippolytum patris detestatione interfectum, sed ante mortem ei reconciliatum¹⁾ atque Athenis ad The- midis templum sepultum esse ferebat. (*Paus.* I, 22. 1.). Verum aliter fabulam narrabant Troezenii, apud quos Hippolyto et fanum erat a Diomede, ut putabant, dedicatum, cui quī constitutus erat sacerdos praeerat per totam vitam et quotannis splendida fiebant sacrificia. Praeterea proprium quoddam erat Troezeniis, quod pollicentem facit Dianam *Euripides* v. 1423 sqq.

Σοὶ δὴ τολαίπῳρ' ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
 Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνία
 Λώσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
 Κόμας κεροῦνται σοὶ, δι' αἰῶνος μακροῦ
 Πένθη μέγιστα δακρῶν καρπούμεναι.

Hic mos etiam Pausaniae tempore vigeat. (*Paus.* II, 32, 1.). Troezenii autem Hippolytum infelici patris detestatione mortuum esse negabant, sed inter sidera relatum aurigam habebant. Alia porro fabula erat Epidauriorum, qui eum quadriga consternata ad mortem usque discerptum, Aesculapii vero arte ab inferis revocatum esse volebant (*Paus.* II, 27, 4.). De Spartanis denique nihil constat, nisi templum iis fuisse Hippolyti Thesidae (*Paus.* III, 12, 7.). Quamvis sint diversae hae de Hippolyto opiniones, id vides omnibus esse commune, quod Hippolytum fuisse contendunt filium Thesei.

Ante omnia nunc notandus videtur error *Uhdennii*,²⁾

¹⁾ Vide locos *Euripidis* v. 1442.

ΙΠΠ. Λύω δὲ νεῖκος πατρὶ, χορηζούσης σέθεν
 v. 1448 sq.

ΘΗ. Ἡ τὴν ἐμὴν ἀναγνον ἐκλιπὼν φρένα;

ΙΠΠ. Οὐ δὴτ' ἐπεὶ σε τοῦδ' ἔλευθερῶ φόνου.

²⁾ *Uhdenn.* I. I. p. 195. In allen diesen Nachrichten ist keine Spur von einer dabei genommenen Rücksicht auf seine Verhältnisse zur Artemis. — p. 194.

in omnibus his fabulis Dianae fieri mentionem negantis. Pausanias quidem quod Dianae mentionem non fecit, inde est explicandum, quod res erat notissima ex Euripidis fabula, sed Euripides, ut supra iam diximus, facere non poterat, quin eam fabulam proponeret Atheniensibus, quam ipsi sequebantur; Atheniensibus igitur Hippolytus erat venator comesque Dianae *Eurip.* v. 1092.

ὦ φιλάτη μοὶ δαιμόνων, Ἀητοῦς κόρη,
Σύνθακε, συγκύναγε.

Eandem fabulam ne a Troezeniis quidem recusatam esse templum demonstrat Veneris Catascopeiae (*Paus.* II, 32, 2. *Valckenaerius* in *Hippol.* v. 31.); iidem agnoscebant etiam *συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων*, sed hac clade mortuum esse negabant.¹⁾ Quae vero reliqua sunt, quum congruant cum Atheniensibus, nihil est, quod ab Troezeniis Hippolytum pro Dianae assecla et cliente habitum esse vetet, praesertim quum ille Troeze ne templum Dianae dedicasse dicatur *Pausaniae* (II, 31, 6.). De statua vero ambigua in agro Troezenio (ib. 32, 3.) certe audiendi erant incolae, quorum iussu Timotheus fabricaverat. Neque Pausaniae Aesculapii simulacrum videbatur, quem si Troezenii recepissent, sibi ipsi repugnassent. Itaque *Butt-*

Ein Grabhügel oder Steinhaufen des Hippolyt — in Athen, da war er nicht durch den Fluch des Vaters umgekommen. Nescio, qui factum sit, ut in hunc errorem adduceretur, nam ipse Pausanias, quem se secutum esse profitetur, narrat, τοῦ δὲ ὀβίον τὴν τελευτὴν συμβῆναι λέγουσιν ἐκ καταρῶν.

- 1) *Pausan.* II, 32, 1. Ἀποθανεῖν δὲ αὐτὸν οὐκ ἐθέλουσιν *συρέντα ὑπὸ τῶν ἵππων*. Verhorum ordo, si quid nos videmus, sic locum explicari iubet: mortuum esse negant, etsi discerptum esse ab equis concedunt. Nam Troezeniis Hippolytus *auriga* erat. Aliter interpretatus est *Buttmannus* p. 147. Wenn, wie Pausanias berichtet, die Troezenier seine Zerreiſung durch die Pferde leugneten, reliq.

nanni (p. 156.) de hoc simulacro coniectura, quae psi ita videbatur comparata, ut risum excitare posset, plane supervacanea videtur. Etiam Dorienses hanc Hippolyti fabulam credidisse, docet fortasse toreuma in cathedali Agrigentina hucusque servatum, quo tota clades repraesentatur. Restat igitur Epidauriorum opinio, Hippolytum ab Aesculapio in vitam esse revocatum; quae fabula sane erat antiquissima, quippe quam *Apollodorus* (III, 10, 3.) iam in Naupacticis traditam invenisset, (cf. *Eratosth.* Catast. 6.). Sed ipsum Aesculapium precibus commoverat Diana, ut comitem ab inferis reduceret, (*Hygin.* fab. 151. *Virg.* Aen. VII, 769. *Lactant.* I, 17, 15.). Quae quum ita sint, profecto non video, cur *Uhdenius* Hippolytum cum Diana coniunctum fuisse negaverit. Quod deinde dicit Hippolyti cultum cohaerere videri cum Aesculapio, certe ad solos Epidaurios pertinet. Athenis quidem haud procul ab Aesculapii templo erat Hippolyti tumulus, sed, ni fallor, fortuito id factum est; nisi forte cum *Themide* coniungit *Uhdenius* Hippolytum, (ante huius enim deae fanum erat tumulus) et cum ceteris arcis Atticae diis. Neque omnino, qui sepulcrum Hippolyti ostendebant, heroem cum Aesculapio coniungere poterant. Apud Epidaurios autem mentionem Hippolyti extitisse mirum non est, quoniam vitae redditus Hippolytus mortis auctor erat deo Epidaurio, (*Virg.* Aen. VII, 770.), sed praeter columnam nec sacellum neque cultus Epidaurii Hippolyti commemoratur. Quodsi omittis Spartanos, de quorum Hippolyto nihil constat, qui soli colebant Hippolytum divino honore Troezenii, apud eos ne levissima quidem vestigia necessitudinis inter Aesculapium et Hippolytum inveniuntur nec omnino inveniri possunt. — Attamen nobis sufficit id, quod diversis illis sententiis commune vidimus, Hippolytum fuisse filium Thesei, (idcirco etiam heros erat Troezeniorum), et comitem Dianae venatricis. Fabula Hippolyti omnino a Theseo seiungi nequit, Theseus

autem sero in heroum numerum receptus est. Nam *Homerus* eum ignorat, etsi in carminibus, quae vulgo dicuntur *Homeri*, ter eius fit mentio, sed versus II. α, 265, si optimorum librorum auctoritatem sequeris, eiiciendus est, et *Odyss.* λ, 320—24 et 632. tantopere *Atticum* interpolatorem sapiunt, ut, etiamsi deessent rationes grammaticae (de his videndus est *Nitzschius* erklärende Anmerkungen zur *Odyssee* T. III. p. 254 sqq. et p. 356.) quae idem comprobant, nemo tamen non eos spurios esse videret; posteriorem verò versus *Plutarchus* (*Thes.* 20.) voluntate *Pisistrati* insertum esse tradit. *Hesiodus* sane commemoravit *Theseum*, sed ita commemoravit, ut *Pisistratus*, si testem sequimur *Heream* ap. *Plut.* l. l., versus *Theseo* heroe satis indignum expungi iuberet. Quae res affatim docet, *Theseum* a *Boeotiis* saltem tum non habitum esse pro heroe; nam communi omnium *Graecorum* heroi conviciari profecto non ausus esset *Hesiodus*. *Theseus* proprius erat *Atheniensium* et eius temporis, quo *Ἕλληνας* *Graeciam* tenebant; itaque ne filius quidem *Hippolytus* referri potest ad *Pelagos* nec, uti supra demonstrare studuimus, *Pelagica* erat dea vena-trix, quam ille sequebatur.

His de *Hippolyto* praemissis ad *Buttmanni* argumentationem animadvertamus. Omnino enim similitudo numinum diversis locis cultorum tribus modis nasci potest, aut antiquissima populorum cognatione, aut coloniis in loca remotiora deductis, aut consilio eruditorum hominum; nam etsi huic rei, quam postremam commemoravimus, eam esse vim negat *Buttmannus*, exemplis tamen potest convinci, quorum unum e multis sat habemus attulisse. *Cacum* enim interfecisse fertur *Hercules*: monstrum *Italicum* heros *Graecus*, sed aliter *Verrius Flaccus* ap. *Serv.* in *Aen.* VIII, 203, qui ab *Recarano* sive *Garano*, pastore *Italico* occisum esse narrat *Cacum*, *Recaranus* igitur erat *Hercules Italicorum*, nihilominus etiam in *Italia* cessit *Herculi Graeco*; id

quod profecto neque antiqua populorum cognatione, nec coloniis deductis factum est, sed consilio hominum eruditorum, neque aliud refugium relictum est Hippolyto, si eum nec prisca cognatione, nec per colonos Graecos in Italiam pervenisse demonstraverimus. Etenim id iam comprobasse nobis videmur, talem conjunctionem, qualem inter veterem deam Pelasgicam et Nemorensem constituimus, inter recentem heroem Hippolytum et Virbium esse non posse. Buttmannus quidem Hippolytum Troezenium non heroem, sed priscum deum fuisse contendit, sed argumentis aptis non evicit. Nam quod ad sententiam suam stabiliendam affert *τιμὰς μεγίστας*, quas apud Euripidem Diana promittit Hippolyto, non sunt maximi honores, sed permagni, qui etiam heroibus conveniunt, et profecto Euripidi nihil, nisi heros erat Hippolytus. Quod dein dicit Diodorus (IV, 62.) *παρὰ τοῖς Τροϊζηνίοις ἔτυχεν ἰσοθέων τιμῶν*, si comparaveris cum verbis Homeri *θεὸς ὧς τίετο δῆμον, ἰσόθεος φῶς* (Il. ε, 78. Odyss. ξ. 205 cet.) et imprimis cum illo, ni fallor, Platonis *ἰσοθέους τιμὰς νέμειν γονεῦσιν*, non magis tibi videbitur coarguere Hippolytum pro deo esse habitum, quam templum et lucus et sacerdotia et sollemnia; horum enim honorum participes etiam erant heroes, veluti Theseus, (Paus I, 17, 2. *Phut. Thes. 4 et 36.*); notissimus est lucus Academi (*Schol. Demoth. 182.*), qui uterque nonnisi heros fuit. Item familiariter confabulari cum diis etiam heroas, Homeri unaquaque pagina, Ajax Sophoclea, cet. satis docent. Quod denique inter sidera dicitur relatus, honorem assecutus est ab heroibus non alienum, si quidem Orionis sidus erat antiquissimum (Il. χ, 28. *Pind. in Etym. M. 675, 33.*). Nisi graviora argumenta afferentur, non recedemus ab hac sententia atque Hippolytum heroem eumque recentem fuisse contendemus. Itaque per antiquissimas migrationes Hippolytus minime Ariciam venire poterat.

Horatium enim Virbius fugere non poterat; nihilominus canit Carm. IV, 7, 25.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum

Liberat Hippolytum.

Hi versus plane inepti fuissent, si tum omnes in Virbio vidissent Hippolytum.¹⁾ Virgilius porro (Aen. VII, 7. 61.) Troezeniorum et Epidauriorum fabulas coniungere studet, Virbiumque esse vult Hippolyti filium, id quod facere non poterat, nisi etiamtum discrimen aliquod fuisset inter Hippolytum et Virbium.²⁾ Ovidius denique (Metam. XV. 496 sqq.) Virbium Epidauriorum fabulae accommodasse videtur. Una nimirum cum Artemide Hippolytus in Italiam venit et quum Artemis coalesceret cum Diana, etiam Hippolytus Italicus erat

- ¹⁾ Hic locus eos, qui Virbium ab initio Hippolyti naturam rettulisse contendunt, mire vexavit. *Uhdenius* Horatium hallucinatum esse ratus, increpat Ianium, qui aliam, quam Ovidium, fabulam secutum esse Horatium censet. Negat *Uhdenius*, a quoquam traditum esse Hippolytum in inferis remansisse: sed vereor, ne, quod Horatio obiicit vitium, in ipsum vertendum sit; nam *Euripides* v. 1328 sqq.

θεοῖσι δ' ᾧδ' ἔχει νόμος,
Οὐδεις ἀπαντᾶν βούλεται προθυμῶ
Τῇ τοῦ θεέλουτος.

Itaque Diana Euripidea facinus Veneris irritum facere non poterat neque inferis tenebris Hippolytum liberare. Ceterum num recte se habeat illa deorum lex, an, quae est *Valckenaerii* sententia, ab Euripide sit ficta, ad nostram quaestionem non pertinet. Apud Euripidem eo loco valet illa lex, eumque secutus videtur Horatius. *Buttmannus* eum Horatii locum omittere maluit.

- ²⁾ Idecirco etiam *Servius* in hunc locum: „Omnia ista fabulosa sunt. Nam quum castus ubique inductus sit et qui semper solus habitaverit, habuisse tamen fingitur filium.“

quaerendus. Virbius auxilio Dianae ab inferis credebatur revocatus, item Hippolytus Epidaurius, itaque inter se comparabantur et omnis Hippolyti fabula transibat ad Virbium. Nam praeter hanc sortem nihil utriusque commune erat.¹⁾ Sane concedimus Buttmanno, Hippolyto Virbii vice recepto, sanctius non redditum esse Virbii numen, sed non aegre ferebant Latini, si quis suas Graecis fabulis arcessitis ditabat: sane concedimus hoc fabularum genus a poetis non excogitari, sed similitudinem aliorum numinum numquam repudiabant, si patriorum deorum exornandorum offerebat occasionem. Neque Hippolytus venator cum Diana Aricina coniungi poterat, nisi in tertia, quam constituimus, religionis Dianae aetate, qua ipsa venatrix facta est. Idcirco etiam simulacra, quae dicuntur esse Virbii sive Hippolyti²⁾ et venatorem repraesentant, aetatis sunt ad-

1) Locus *Pausaniae*, quem *Buttmannus* accuratius persequitur, hic est: Ταύτης τῆς στήλης (cf. supra) τῷ ἐπιγράματι ὁμολογοῦντα λέγουσι Ἀρικιεῖς, ὡς τεθνεῶτα Ἰππόλυτον ἐκ τῶν Θεσείως ἀρῶν ἀνέστησεν Ἀσκληπίος. ὁ δὲ, ὡς αὐθις ἀνεβίω, οὐκ ἤξιον νέμειν τῷ πατρὶ συγγνώμην, ἀλλὰ ὑπεριδῶν τὰς δεήσεις, ἐς Ἰταλίαν ἔρχεται πρὸς τοὺς Ἀρικιεῖς καὶ ἐβασίλευσέ τε αὐτόθι καὶ ἀνῆκε τῇ Ἀρτέμιδι τέμενος καὶ ἄγρις ἐμοῦ μονομαχίας ἅθλα ἦν καὶ ἰεράσθαι τῇ θεῷ τὸν νικῶντα. Recte censet *Buttmannus*, in antiquissima columna Aricinarum mentionem non esse factam. Sed quomodo ex hoc loco aliquid amplius elici possit, quam vitam Hippolyto redditam esse, et quid in his verbis ad extremam senectutem pervenisse Hippolytum testatur, equidem non assequor. Sane *Pausaniae* tempore Hippolyti religio apud Aricinos erat quasi inveterata, neque vero totus locus aliud quid docet, quam ab Aricinis Epidaurium Hippolytum receptum esse.

2) Primum inventum est Nemore anno milesimo septingentesimo nonagesimo primo p. C. n., valde mutilum, et de hoc egit *Uhdenius* l. l. Similia passim conspiciuntur in hortis Romanorum.

admodum recentis, ita ut ab iis ad quaestionem de prima Virbii natura lux non redundet.

Verum iam satis superque demonstrasse nobis videtur, alium ab initio fuisse Hippolytum, alium Virbium, quamquam uterque in vitam revocatus, uterque assecla fuerit Dianae; quae enim praeterea de Hippolyto narrantur, a Virbio aliena sunt. De cultu Virbii unus tantum est locus *Servii* in *Aen.* VII, 776. „Virbium autem Solem quidam putant esse, cuius simulacrum non est fas attingere, propterea quod nec Sol tangitur.“ Sed priusquam exponamus, quid ipsi sentiamus, videamus, quid de eadem re iudicaverint qui hucusque de Virbio scripserunt, *Buttmannus* et *Hartungius*.

Buttmannus igitur, quod in Virbio, quem, uti diximus, cum Hippolyto confundere non dubitat, *Aesculapium* latuisse putat, nondum quemquam invenit, quem ad suas partes abstraheret et ne *Uhdinium* quidem, ad quem epistolam de Virbio misit, habet suffragatorem. Quod enim Hippolytum semper cum *Aesculapio* coniunctum fuisse contendit, iam supra ostendimus, verum non esse. De argumento autem, quod ex *Euripide* petatum est, a quo vult v. 952. spreta morum heroicae aetatis ratione Hippolytum fictum esse hominem litteratum ideoque fortasse medicum verba facere supervacaneum est. Sed quid multa? Virbius antiquitus non erat Hippolytus. At tamen ipsum Virbium medicum fuisse contendit; argumenta profert tabulas votivas in nemore Aricino suspensas; sed nusquam memoriae traditum est, tabulam Virbio vel unam dedicatum esse. Deum medicum optime quadrare ad naturam deae, qualis olim erat *Aricina Diana*, minime negamus; neque vero omnes eius comites necessario sunt medici. Quae deinde excitat verba *Cassiodori*, (de orthograph. c. 6.) „(Virbium) alii deum, qui viribus praesit, interpretantur“ haudquaquam medicum arguunt, ut docent arae quadratae,

quae passim inventae sunt in Dianae fanis, atque in tribus lateribus res venatorias repraesentant, in quarto hanc inscriptionem exhibent.

VIRIBUS.

SACRUM.

Vides igitur illud „viribus“ spectare ad venatores, sed pro vocabulorum similitudine a grammaticis facillime referri poterat ad Virbium. Ipsum Virbii nomen a voce „herba“ petendum esse putat, sed, ut ipsam etymologiam omittamus, medici Latinorum antiquissimi minus herbarum succo et radicibus, quam ferro et igne succurrebant aegrotis. (*Plin. XXIX, 6.*) In fine commentationis *Bullmannus* verbis Servii utitur, quibus ipsi modo denunciavimus testimonium; haec eum fere in eam opinionem adduxerunt, ut in Virbio Solis numen quodammodo agnosceret. Verum locus ille Servii, nisi quando accedent alia testimonia, quae ad eum explicandum facient, quum per se, si quid videmus, inexplicabilis sit, melius omittitur, quam ad vagas opiniones sustentandas adhibetur. Sed ut ad finem tandem haec perducamus, si Virbius revera non diversus fuisset ab Aesculapio, qui factum est, ut Aesculapii numen, uti mox enarrabimus, Ariciam arcesseretur? Nobis quidem neque Virbius, neque Hippolytus deus medicus fuisse videtur.

Iam videamus, quid de Virbio *Hartungius* (*Relig. der Roemer II. p. 213 sqq.*) sentiat. Ille igitur bene quidem fecisse videtur, quod Virbium ab Hippolyto seiungendum censuit, nollem autem addidisset, Graecos, si amicum aliquem Dianae audivissent, facere non potuisse, quin eum Hippolytum putarent; nonne enim erat etiam Endymionis fabula notissima (*Apollon. Arg. IV, 55.*)? immo debebat dicere, deae comitem in vitam revocatum cum alio comparari non potuisse, nisi cum Hippolyto Epidaurio. Affert porro *Servii* quandam

locum, qui in Aen. VII, 761. vetustum Aricinorum regem favore Dianae ab inferis revocatum nuncupat Virbium, quo nisus *Heynius* (in Aen. VII. exc. VIII.) „in eodem,“ inquit, „Dianae templo heros *indigena* Virbii *domestica* religione cultus fuisse videtur, quem ex aliqua seu formae, et attributorum, seu forte fabularum similitudine Hippolytum *seriores* interpretati sunt, nisi ad commentum illud nomen Virbii, bis viri, *παλαμβιον*, ritusque religiosus arcendi a luco (v. 779.) equos duxit, ut veteris cladis memoriam renovari nollent.“ Id quoque recte docet *Hartungius*, commotus ille veterum et recentiorum testimoniis, Virbii nomen seiungi non posse a certamine regis Nemorensis. ¹⁾ Sed quae praeterea disputat, nituntur ea, uti multa alia in eodem libro, etymologia nimis procace. ²⁾ Manius Egerius enim cum cultu ipso Dianae Aricinae coniungendus non est. *Hartungius* quidem ut eam necessitudinem comprobet, verbis utitur *Festi* s. v. Manii, sed sequitur non rectam emendationem. Verba enim Festi haec sunt: „Manius Egeri... Nemorensem Dianae consecravit.“ Hic interpretes neglecta litura scribendum censebant: „Manius Egerius Nemorensem Dianam consecravit.“ Sed quid eo loco desit, docet *Cato* de orig. II, ap. *Priseian.* instit. gramm. IV, med. „lucum Dianium in Nemore Egerius Lesbius Tusculanus dedicavit.“ Scripserat igitur Festus „Man.

¹⁾ Optime hoc enarrat *Boettigerus* l. l. p. 402. Es bedarf keines grossen Scharfsinnes, um in der alten Sitte, wo aus dem getödteten alten Priester immer ein neuer wieder auflebte, die erdichtete Veranlassung dieser *ἀναβίωσις* des Lieblings der Haingöttin zu entdecken.

²⁾ Afferamus exemplum ex diis Aricinis petitum; dicit p. 215. *Agerius* ist ja der *kranke, matte, dahinsterbende*. p. 216. Die Gesundmachende und Wiederbelebende hatte sich mit der *Heilgöttin Ageria* verbunden.

Eg. lucum Nemorensem Dianae consecr.“ vel simile quid. Quae praeterea de Egerio narrat Cato et de fano dedicato, ita sapiunt historiam, ut, etiamsi nomen Manii recte coniungatur cum Manibus, (quamquam longe aliter statuit *Iul. Paris* de praenomine), tamen ab hoc nomine argumenta ad cultum deae explicandum peti non possint. Neque *Persius*, qui (VI, 55.) haeridem sibi optabat Manium, regem Nemorensem spectare poterat: Manii erant mendici, qui catervatim ad clivum Virbii in lucco, quem Manius dedicaverat, nummos praetereuntium aucupabantur. Sed quum *Hartungius* Manium, cuius nomen a Manibus repetendum putat, cultum deae instituisse existimet, Aricinam deam pro Libitina habendam esse censet; isti sententiae quaerat, qui subscribant. Neque etymologia nominis Virbii, quasi „e virivivo“ orti, magis, quam *Uhdéniana* „vir bivius“ (*ἀναβεβηκώς*) respondet aut contractionis legibus aut rationi, quam veteres in diis nuncupandis sequebantur. Antiqua veriloquia (Vir pius — vir bis) sane multo insulsiora sunt.

Restat, ut ipsi investigandae genuinae Virbii naturae periculum faciamus. Neglectis igitur iis, quae per Graecas fabulas sunt intrusa, et omisso difficiliore Servii loco, illud constare dicimus, Virbium fuisse asseclam Dianae, aetate proveciorem, (*Ov. metam. XV, 538.*), ab inferis in vitam revocatum diisque ex minoribus unum (*ib. 545*). Virbii vocabuli radix esse videtur *Virb*, aut omisso digammate *Irb*, quae facile abire poterat in *Hirb*, (*Quintil. I, 5, 20.*) et in *Irp* sive *Hirp*. (*populus — publicus — buxis — πύξις*). Eius radicis nomina etiam alioquin coniuncta videmus cum Diana. *Pausanias* enim (III, 16, 6.) Dianae Orthiae i. e. Tauropoli simulacrum inventum esse dicit ab *Ἀστροβάκῳ καὶ Ἀλωπέκῳ τοῖς Ἴρβου, τοῦ Ἀμφισθένης τοῦ Ἀμφικλέους τοῦ Ἄγιδος*. Eam genealogiam, quae Irbum refert ad gentem Agidis, ni fallor, secundi ex

Agiadis regis, vanam esse docent filiorum nomina, Asinarii et Vulpinarii, sic enim ea in Latinum sermonem vertere licet. Vides igitur cum Tauropoli cultu Spartaee coniunctum Irbum quendam; verum quum fortasse ea nominum similitudo fortuita sit, Irbum missum facimus. Attamen Hirpos licet in disputationem vocare, sacerdotes Feroniae. Quenam autem erat Feronia? Sanctissime colebatur ea dea a Faliscis ad montem Soractem una cum Apolline, (*Strabo* V. p. 346. *Plin.* VII, 1.), ubi „familiae erant perpaucae, quae vocabantur Hirpiae, quae sacrificio annuo — super ambulam ligni struem ambulantes non adurebantur.“ Hirpi¹⁾ igitur sive, si recte se habet scriptura Plinii, Hirpii erant sacerdotes Feroniae. Ipsa autem Feronia aliis eadem esse cum Iunone,²⁾ (*Serv.* in *Aen.* VIII, 564.), aliis cum Proserpina (*Dionys.* III, 32.) videbatur; itaque numen erat ambiguae naturae, cultum non modo ad Soractem, sed etiam Tarracinae et multis Sabinorum locis; hinc *Varro* deam a Sabinis, non a Tuscis, recepisse putat Romanos. Sed reputantibus ea, quae supra de Iunone Tusca, de Iano ab Apolline submoto disseruimus, audientibus fanum Tarracinense in nemore fuisse aquoso, (*Corrad.* vet. Lat. II. p. 268) deamque vocari Dionysio ἀνθηφόρον καὶ φιλοστέρωνον, verisimilimum fit, Feroniam aliam non esse, quam antiquissimam Dianam, id quod, plane aliunde exorsus, etiam *Hartungius* invenit.³⁾ Haec igitur comparatio

¹⁾ Hirpinos et fabulas de lupis et de specu pestiferum halitum emittente, false cum Hirpis iunctos esse, accurate docuit *Salmasius* *Plin* Exercit. p. 59 sqq.

²⁾ Falisci idcirco etiam colonia Iunonia vocabantur. *Frontin.* de colon. prov. Tusc. Accedit inscriptio Iunonis Feroniae ap. *Spon.* Miscel. II, p. 83.

³⁾ *Hartung.* II, p. 210 „Wenn wir hören, dass Diana den Aufenthalt in Wäldern und an Quellen liebte, Begeisterung und Wahnsinn einhauchte, — so entdecken wir die grösste Aehnlichkeit zwischen ihr

affatim docet Virbios, ut Hirpios, sacerdotes fuisse antiquissimae deae, quae hostias humanas sibi postularet et ne sacerdotum quidem sanguinem recusaret. Ut bellonarii, eiusdem deae, Cybelae, sacerdotes, suo sanguine deam placabant, sic etiam Virbii, qui regna tenebant Nemorensia, ad fanum deae se immolari passi sunt; sed quum, qui sacerdotem interficiebat, idem statim morientem in eo sacerdotio exciperet, rex numquam non erat redivivus; itaque Virbius immortalis reddebatur et heros fiebat Nemoris. Sed quum hic deae cultus Ariciae tantum fuerit, mirum non est, quod Virbius Aricinarum numen proprium erat. Quum denique ipsorum Latinorum ingenium ad heroas fabulis exornandos parum esset idoneum, libenter a Graecis similem quendam heroem arcescebant, cuius ornamenta ad Virbium transferrent. — Hinc recte vocatur Virbius heros indigena, hinc subobscura cum rege Nemorensi coniunctio orta est.

Quum autem Hippolytus Epidaurius sine Aesculapio transferri non posset, recte ab Hippolyto Aesculapii Aricini templum dedicatum esse ferunt; qui igitur Hippolytum pro antiquissimo Aricinarum numine habebant, necessario Aesculapii templo summam vetustatem vindicabant. (*Corrad. I. p. 404.*) Sed falsi sunt. Nam Aesculapius, quem cum Hygea filia Ariciae cultum esse inscriptiones testantur, Romanis diu ignotus erat, ut, quum, anno Urbis quadringentesimo quinquagesimo nono ingente pestilentia vexati, deum Epidaurium arcesserent, (*Liv. X, 47*), eius religionis ita ignari essent, ut

und der Feronia.“ Num p. 193. recte coniungat Feroniam cum *Πυρρωία*, Artemide Arcadica, (*Paus. VIII, 15, 4.*) dubitamus. Alia etyma videsis apud *Fabrett.* inscript. VI, p. 541. Nobis nomen referendum videtur ad ferendi verbum, quippe quae fruges ferat.

de ea instituenda ab Epidauriis essent edocendi. (*Val. Max.* I, 8. 2.); id quod in tanta Ariciae vicinitate fieri non potuisset, si idem deus Ariciae iamdudum cultus fuisset. Ceterum quoniam nec Romani neque Aricini Aesculapium et Hygeam propriis caerimoniis colebant, nihil habemus, quod de his diis addamus

Sententiae controversae.

- I. Horat. Carm. II, 13. stropham primam frustra ab interpretibus tentatam esse.
 - II. Versus Martialis epigr. IV, 64, 14—15 et 16—17 transponendos esse.
 - III. Strabo V. p. 239 legendum esse — *ὄφρῶς περικείται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερόν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσα ἐγκοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ.*
 - IV. Niebuhrii dubitationi de fide Livii VIII, 14 non esse subscribendum.
 - V. Ex civitatum Graecarum ratione, quam proposuerit Aristoteles Polit. I, 1, 11, quae Alcibiades contra patriam commiserit, defendi posse.
 - VI. Curam Amphictyonum ad sola dei sacra pertinuisse.
-